



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 183. Quandonam exigi possit pensio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

vatur hoc vel illud, quia in ejus gratiam constituta est pensio, *Corr. Leur. q. 565.*

1166

§. VIII. Si pensio sit imposita uni beneficio, quod postea dismembratur tantum quoad fructus, retinens beneficium tenetur ad totam pensionem: si dismembretur etiam quoad titulum, ita ut ex uno fiant duo beneficia, putant *Seraph. & Barb.* apud *Leur. q. 567.* Singulos beneficiatos obligari in solidum, hinc pensionarium posse à quo volet exigere totam pensionem, sed videtur rationabilius, ut uterque concurrat pro rata, ad eum modum, quo n. 1140. diximus pro rata solvendum, si pensio sit constituta super pluribus beneficiis.

1167

§. IX. Beneficiatus tenetur solvere procuratori ostendenti mandatum pensionarii & asserenti hunc adhuc vivere, quia hoc præsumitur, etiam usque ad 100. annos, nisi adsint conjecturæ probabiles de morte, *Lott. Tond. Vide Leur. q. 584.*

1168

Q. 183. *Quandonam exigi possit pensio. R.* Non potest exigi vel solvi ante completam expeditionem literarum, nisi in hoc dispensetur, alioquin ex decreto *Clementis VIII.* impositio pensionis est ipso jure irrita, uti & tunc, si cessante impedimento literæ illæ non expediantur intra 9. menses ultra montes, & intra 6. citra montes, *Az. Gare. Barb. Castrop. Lott. Ventrig. Luca;* Vide tamen *Leur. p. 3. q. 653. n. 2. & 3.* Et nequidem pro foro interno licitum est prius exigere, *Az. Castrop. contra Gig. Mandos. Rebuff. Sanch.*, Nec juvat expeditio postea sequens, *Lott. Corr. Leur. q. 585.* Literæ autem exhiberi debent, uti pluribus explicat *Leur. q. 587.* Et postmodum exigi possunt fructus respondentes diei constitutæ pensionis, *Luca, Leur. q. 585. n. 12.* An autem post mortem pensionarii exigi possint pensiones cessæ, ab eo in vita non exactæ, Vide dicta n. 951. & 1164^{to}

Q. 184.